



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAECONSTAT SANETEMPLUM S. CRUCIS IN COCCINENSI DIOECESI

AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Constat sane templum Sanctae Crucis dicatum, quod in dioecesi Coccinensi exstat, haud parvo in honore iam diu esse non solum ob antiquum eius structurae genus ad artem pertinens Gothicam aedificio ibi instructo congruens, sed etiam ob eius historiam cum Patrum Capuccinorum Monasterio conexam cumque tribus domibus Sodalium Religiosarum. Quod ergo ad Vos attinet, Qui quam maxime ad Christifidelium pietatem quoquo modo alendam et confirmandam assidue conferre cupimus, satis causae adesse putamus, cur audiantur preces reverendissimi Domini Iosephi Kureethara, Episcopi Coccinensis, qui communia cum Religiosorum Religiosarumque tum fidelium vota expromens suis ipsius cumulata, ab Apostolica Sede petiit ut templum, quod diximus, titulo Basilicae Minoris exornaretur. Qua de causa Nosmet Ipsi, sequentes ratamque habentes sententiam sacrae Congregationis pro Cultu Divino Nobis propositam, summa potestate Nostra Apostolica per has Litteras perpetuumque in modum id praelaudatum templum sanctae Crucis dicatum in memorata dioecesi situm ad dignitatem ac titulum Basilicae Minoris evehimus cunctisque insignimus iuribus ac liturgicis concessionibus, quae ad cetera huius ordinis templa pertinent; iis tamen servatis, quae secundum Decretum «de titulo Basilicae Minoris » die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII evulgatum sunt servanda. Contrariis quibilibet haud obstantibus. Ceterum iubemus has Litteras Nostras religiose observari suosque in praesens et in posterum tempus effectus habere.*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Augusti, anno Domini MCMLXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.*AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1984 - Libreria Editrice Vaticana